

De fragmentis quibusdam a Nicolao Perotto  
suppositis.

Cum olim in studio academico aliquantum operae in cognoscenda poesi scenica Latinorum ponendum, maximeque eorum poetarum, quorum solum fragmenta ad nos pervenerunt, rationem habendam statuissem, forte me incessit lubido inspiciendi Cornu copiae, quod congescit Nicolaus Perottus Sipontinus \*). Cujus libri dum legendo aliquot paginas percurro, cum scriptorum loci qui in eo citantur, a vulgata lectione discrepantes, tum veterum poetarum maxime scenicorum fragmenta non pauca plane nova neque usquam a me lecta animum meum mediocriter in his rebus versatum offenderunt. Re diligentius considerata, qui primo memoriae fidem habere vix essem ausus, fragmenta ea et novas et sinceras poetarum, quibus tribuebantur, reliquias putare non dubitavi. Cur enim ita existimarem plures erant causae. Primum Perotti fidem in laudandis scriptorum locis non mediocriter addubitatum esse quanquam non ignorabam, cum, quas Aesopi Aviani et Phaedri fabulas laudat permultas, ipse composuisse atque etiam Phaedri vulgatas corrupisse putetur \*\*), hujus modi fraudis ne suspicio quidem hoc loco subesse videbatur, quod horum fragmentorum pauca tantum facili opera, verbis leviter immutatis vel transpositis, in numeros versus justos redigi possent, plurima versus atque adeo omnibus numerorum vestigiis destituta esse viderentur, id quod versuum adulteratorem, qui ipse librum de metris scripsisset \*\*\*), commissurum fuisse non existimabam. Nonnulla etiam tam exigua citabantur tamque mutila, ut sensus vix ullus appareret. Praeterea in

\*) Nicolaus Perottus, Siponti natus, ecclesiae Manfredoniensis aliquando episcopus, vixit inter a. 1430 et 1489.

\*\*\*) Praeter reliquos Phaedri editores inprimis conferatur Eichstadius in editione Phaedri fabularum, quae feruntur XXXII. in Italia nuper repertarum.

\*\*\*) cf. Cornu copiae p. 315, lin. 36.

fragmentis illis verba reperiebam plane nova atque inaudita, quae ne in lexicis quidem unquam me legere memineram. Accedebat quod quem versum Pacuvii a Scaligero ad Festum, a Vossio in etymolog. et a Rob. Stephano in thesauro v. canicae laudari ut genuinum videbam, et qui unde profectus esset, vel cujus fide auctoritateque niteretur, nesciebatur vel dubitabatur \*), alii enim ex Festo sumptum contendunt alii negant, eum ipsum in cornu copiae archiepiscopi Manfredoniensis p. 702 l. 57 inveniebam Pacuvio assignatum. A quo vero Scaligerum, Vossium, Stephanum deceptos esse videmus, ab eodem deceptum se fateri quem pudeat? Quare cum persuasum mihi haberem, quamvis negligenter et memoriter citaret Perottus, citatis tamen verum aliquid subesse, non recusavi, quin inconditum illum librum Perotti pedetentim perlegerem, et quaecunque in eo vel prorsus nova vel a vulgata lectione admodum diversa esse viderentur, diligenter describerem. Ita factum est, ut plus sexaginta fragmenta poetarum scenicorum et Lucilii, quae sub mole ista latebant, per me fore ut in lucem proferrentur, juvenili quadam confidentia sperarem. Quae spes tamen diu constare non potuit. Fragmenta genuina quin essent, cum non videretur dubitandum, solum ex quo fonte hausisset Perottus haesitabam. Quaerentem facile me offendit insignis quaedam horum fragmentorum cum locis Nonii et Festi similitudo, ita ut cum Nonii codicum alium alio integriorem esse scirem, Perottum integerrimo et omnium praestantissimo usum esse facile mihi persuaderem. Neque multo diversa de Festo sententia mihi fuit. Sed quo diligentius rem examinabam, eo magis dulcem illam spem extenuari et prorsus evanescere sentiebam. Cum enim permulta alia veterum scriptorum fragmenta, quae a Nonio vel a Festo servata sunt, sicut in corruptissimis grammaticorum illorum editionibus leguntur, depravata, multa etiam interpolata ineptaque aucta apud eundem Perottum invenirem, paulatim de fraude in suspicionem mihi venit. Ubi semel fides labefactata est, investigando et comparando paene invitatus eo sum deductus, ut, quaecunque veterum scriptorum fragmenta plane nova vel aucta apud Perottum leguntur, ab ipso sive imprudenti sive consulto facta et interpolata esse, persuasum mihi haberem. Quam meam sententiam quo facilis paucis, quae nunc conceduntur, verbis probem, fragmenta illa quae dixi descripta proponam adjunctis simul Nonii vel Festi locis, quos immutasse vel quorum ad similitudinem sua Perottus commentus esse videatur.

## I. Fragmenta Pacuvii.

1. Perotti cornu copiae pag. 114. l. 54. (ex editione Aldina): Dubenus dominus, Pacuvius:

\*) cf. infra fragmenta Pacuvii 14. Bothius poetae scen. lat., fragm. trag. p. 154 fr. 45.

Tum dubenus ligatos servos pessime verberat.

cf. Festus v. Dubenus apud antiquos dicebatur qui nunc dominus.

2. p. 159. l. 53. Moero, moestum et moerentem facio. Pacuv:

Qui multis me moeravit modis.

cf. Nonius: Mertaret pro merentem faceret. Ita Mercerus, sed in aliis Nonii editt. legitur moeraret, quod obversabatur animo Perotti.

5. p. 183. l. 42. Specium cujus diminutivum est specillum, a specio deducitur, instrumentum teres ac parvum, quo medici ad tentandum vulnerum aut fistularum viam vel profunditatem utuntur. Pacuv:

Ut medici faciunt, qui prius specio vulnus tentant.

Forcellinus v. si locus sincerus sit, specillo scribi jubet, ut sit iambicus septenarius:

Ut medici faciunt, qui prius specillo vulnus tentant.

Sed vocis specillum, quae in libris Plinii, Celsi, etiam apud Varronem et Ciceronem, ni fallor, legitur, Perottus memor vocabulum primitivum specium et simul versum finxit.

4. p. 351. l. 49. Ceriti dicuntur sive quod *κέρατα* hoc est cornua in capitibus habere se putent sive a Cerere, quasi Cereris ira animo vexati. Pacuv.

Ut miser quasi ceritus furiis agitor.

cf. Festus v. Cerritus furiosus, quae pluribus explicasse videtur Perottus.

5. p. 521. l. 51. Saevio irascor. Pacuv.

Quid commerui, quid in me saevis pater?

aliae editt. si versum spectas rectius: quid saevis in me pater. Meminerat Perottus loci Nonii v. saevum iratum, cujus significationis exemplum supposuit.

6. p. 600. l. 18. Externare dementem facere. Pacuv:

Sed eccam miseram, quam frequens luctus externavit.

sunt haec fere verba Catulli apud Non. v. externare.

Ab miser assiduis quam luctibus externavit.

7. p. 610. l. 37. Incoxare, in coxam sedere. Pacuv:

Adeo incoxanti mihi pes obstipuerat.

Quae si transponas ita: adeo incoxanti pes obstipuerat mihi, justus decurrit senarius. Sed vide ne suo more citaverit Non. v. incoxare. Pomponius Panuc.

Neque interim cacandi causa unquam incoxavi nate.

8. p. 613. l. 60. Ita, sic, interdum optantis. Pacuv.

Ita de di ament, ita tibi pro voto secudent omnia.

Quae ita in numeros redigas.

Ita de di ament, ita pro voto tibi secudent omnia.

cf. Non. v. secundare prosperare, unde forsitan locus datus fingendo versui.

9. p. 678. l. 2. Calidum ferox inconsultum. Pacuv.

Cave ne sis nimis calide loquaris et turbam concites.

Ex Nonio haec ficta sunt, apud quem haec eadem leguntur: calidum ferox et inconsultum.

10. p. 686. l. 54. Veteres pro demum demus scripserunt. Pacuv.

Quid demus magis commodum est, quam ne tuum perduas, injuriam pati

Festus v. demum, quod significat post apud Livium demus legitur. cf. fragm.

Livii apud Servium ad Aen. I. 96.

11. p. 695. l. 5. Expato verbum, quod est do me in locum patentem. Pacuv.

Expatant se omnes, publiceque ostendunt.

Festus: expatare in locum patentem se dare, sive in spatium se conferre. — A

Perotto inductus hunc Pacuvii versum laudat Dacierius ad Fest. p. 415 edit.

Lindem.

12. p. 697. l. 14. Sero claudio, inde dissero, disserto etc. Pacuv.

Edissere fabulam hanc.

Quae ex tempore finxerit Perottus.

13. p. 712. l. 25. Sarcio aliquando pro eo accipitur, quod est damnum solvo. Pacuv.

Tu damni nostri causa fuisti, tu nobis sarcito ut debes.

Festus v. Sarcito: in XII. Servius Sulpicius ait significare damnum solvito, praestato.

14. p. 702. l. 57. Canicae furfures, unde canicaceum furfureum dicimus. Pacuv.

Qui apud te quasi servus est canicaceum panem.

Non. v. Canicas veteres furfures esse voluerunt. Eadem haec fere Festus v. canicae habet, ad quem locum Scaliger hunc Pacuvii laudat sicut Vossius in etym. et Rob. Stephanus in Thes. a Festo ipso hunc versum laudari tradunt. Sed unde sit profectus jam non est dubium.

15. p. 757. l. 50. Sufflatum etiam veteres dixerunt tumidum et rectum, quasi vento quodam latius factum. Pacuv.

Viden' ut sufflatus incedit.

Operae pretium est videre, quam similia praeter fragmentum habeat Nonius v. Sufflatum dicitur proprie tumidum, erectum et quasi vento quodam elatius factum.

16. p. 817. l. 56. Improbis nequam. Pacuv.

Nemo hoc puero improbius, quaecumque vult suadet.

Forsitan haec sint ex Nonio v. improbum, quanquam et locus et significatio similis non exstat.

17. p. 840. l. 16. Puellasco ecfeminor. Pacuv.  
Puellascunt lascivia adolescentes.  
Non. v. Puellascere ecfeminari vel revirdiscere; ubi in fragmento Varronis habes: multi pueri puellascunt.
18. p. 871. l. 27. Castratio ponitur interdum pro quacunq[ue] truncatione. Pacuv.  
Ut esset aliquis, qui linguam ejus castraret.  
Haec videtur ex usu communi finxisse.
19. p. 895. l. 10. Ab uro fit ustulo verbum. Pacuv.  
Candenti ferro crines ustulare.  
Auctor Priap. 46. „Ferventi caput ustulare ferro,“ ejus loci parum accurate meminerat noster.
20. p. 897. l. 4. Fragesco quo veteres pro frangor usi fuere. Pacuv.  
Fragescit animus miseriis.  
cf. Non. fragescere frangi.
21. p. 899. l. 45. Fatiscere fatim hiscere hoc est abundanter aperior, aliquando pro deficio. Pacuv.  
Sed mihi prius quidquid in vita dulce est, fatiscat, quam hanc deseram.  
Non. v. Fatiscere et fatisci est aperire, fatiscere rursus deficere.

## II. Fragmenta Accii (Attii).

1. pag. 60. l. 51. Vano veteres pro fallo. Accius:  
Sic illum vanans in angiportum deduxit.  
Calepinus haec laudat Attii ex Alcmena, neque potest esse dubium, quin Perottus locum Attii ex hac fabula, qui legitur apud Nonium v. vano parum accurate meminere.
2. p. 195. l. 2. Miseritudo miseria. Accius:  
Qui infelix miseritudine factus est aliena.  
cf. Nonius v. miseritudo.
3. p. 595. l. 23. Cereus pinguis \*). Accius:  
Pinguem turturem cereamq[ue] ficedulam.  
Mirifica hujus fragmenti similitudo cum Varronis apud Non. v. Edones, cujus parum memor fuerit Perottus, ibi enim haec leguntur: Sed propter phagones ficetulam pinguem aut turdum nisi volentem non video.
4. p. 418. l. 52. Pilo pilos emitto. Accius:

\*) cf. Martialis epigr. I. 93. III. 58. 60.

Tum primum pilabant genae.

Verba haec sunt Nonii v. pilare, sed prave laudata.

5. p. 459. l. 16. Perpetro quod significat mando quid perfici. Accius:

Age vero perpetra, quod coepisti, fieri.

cf. Festus v. perpetrare, ubi legitur fragmentum Pacuvii quanquam non plane simile.

6. p. 470. l. 15. Manuor furor. Accius:

Manuatus vestem amicae.

Nonius v. mendicimonium: manuatus furatus.

7. p. 502. l. 45. Confidenter aliquando accipitur in malam partem pro temeraria.

Accius:

Qui in puellae domum tam confidenter irrapit.

cf. Non. v. confidenter.

8. p. 635. l. 4. Resulto quod est resilio, reluctor, in contrarium feror. Accius:

Resultat echo.

Veteres residiare pro saepe resilire usurparunt.

Festus: resultare saepe resilire. Ad quem locum Dacierius haud dubie Perotti verbis inductus: Sed in reliquiis, inquit, Festi apparet τὸ resultare interpretationem tantum fuisse τῶν residiare etc. Sed verbi residiare nusquam vestigium.

9. p. 697. l. 56. Deserto frequentativum. Accius:

Cum me solum uterque parens desertasset.

Ex quibus eruere verum non admodum difficile est:

Cum uterque solum me desertasset parens.

Sed unde hoc verbum inauditum sumpserit non liquet.

10. p. 698. l. 56. Serium quod significat cum assertione et non per jocum. Accius:

Vos nugas asseritis (affertis aliae editt.) nos seria loquimur.

cf. Non. v. serium, ubi tamen fragmentum simile legitur nullum.

11. p. 715. l. 47. Praemiosus pro pecunioso. Accius:

Divitem ac praemiosam anum.

Festus: Praemiosam pro pecuniosam dixit Cato etc.

12. p. 715. l. 62. Quoadusque. Accius:

Nihil enim te impedio, quoadusque rem peragas.

Vox quoadusque ex usu rariore videtur sumpta esse.

13. p. 942. l. 54. Sinere omittere sive permittere. Accius:

Sine me, vivere sine te possum.

14. p. 950. l. 50. Subolet parum olet. Accius:

Elegans est, myrrham subolet.

15. p. 980. l. 52. Ab hoc (sycophanta) postea et holophanta appellatus est omnia mentiens. Accius:

Improbos holophanta scelestus.

cf. Non. v. halophanta. Festus: halopanta significat omnia mentientem etc.

### III. Fragmenta Naevii.

1. p. 54. l. 57. A fortis fit fortesco. Naevius:

Crescit animus et fortescunt vires.

Quibuscum videtur consentire A. Gellius XIX. 7, qui inter multa alia noxe vel insigniter dicta Naevii hoc quoque habet: „Item quod fortescere posuit pro fortem fieri.“ Sed de fide Perotti ex reliquis jam satis judicari potest.

2. p. 121. l. 41. Contrasto adversor. Naevius:

Contrastat semper, nec me sinit loquier.

3. p. 300. l. 56. Cupa quod a cauponibus nomen assumpsit. Naevius:

Qui duas cupas mero plenas exhaustit.

cf. Non. v. cupae.

4. p. 418. l. 55. Pilare pilos emittere. Naevius pilantem puerum vocat nunc primum pubescentem.

cf. Nonius, qui hujus verbi exemplum laudat ex Novii exodio.

5. p. 605. l. 45. Eugium. Naevius:

Sine eugio puellam invenit.

cf. Non. v. engium. Lucil. „Sine eugio ac destina.“

6. p. 606. l. 41. Gracilium. Naevius:

Quis non irrideret ventris gracilium.

cf. Non. v.

7. p. 715. l. 46. Praemium apud veteres pecunia. Naevius:

Sine praemio sum, marsupium reliqui domi.

cf. Festus: praemiosa pro pecuniosa.

8. p. 717. l. 58. Piare aliquando pro pie amare. Naevius:

Nemo est qui magis suos piet liberos.

cf. Non. piare. Plautus Asin. Ubi piem pietatem etc.

9. p. 726. l. 42. Unde blandicella verba apud Naevium et alios leginus.

Festus: blaodicella verba blanda per deminutionem sunt dicta.

10. p. 817. l. 45. Obsonitare frequentativum. Naevius:

Multi mecum eo die obsonitavere.

Festus: obsonitare saepe obsonare.

11. p. 359. l. 12. Inter composita per bi syllabam recenset ibi Perottus substantivum bilis gemina lis. Naevius:

Bilitem mihi nuper exitavit.

Mira atque adeo incredibilia haec sunt, nisi forte P. memoria falsus pro bilem concire vel movere scripsit bilitem excitare, quod quidem ineptissimum est.

12. p. 393. l. 12. Hisco verbum quod proprie significat summisce loquor etc ponitur etiam aliquando pro stupeo, miror, dubito. Naev.:

Hiscit, dubius est quid agat.

cf. Non. v. hiscere est proprie loqui. Commutavit noster hisco et bio.

13. p. 954. l. 22. Tacere est nihil loqui. Naev.:

Hic loquitur, ille tacet.

14. p. 961. l. 41. Horridum, horrificus etc. Naev.:

Omnia mihi horriditati erant maxime.

cf. Non. v. horridum et horrendum.

15. p. 980. l. 31. Unde ficus est dicta, quam veteres latini etiam sycon appellabant. Naev.:

Hodie sycos mihi recens fuit.

Haec unde sumpserit non exputo.

#### IV. Fragmenta Novii.

1. p. 373. l. 7. prorsus omnino. Novius:

Prorsus et a radicibus evulsa est arbor.

2. p. 702. l. 9. candico, candido et candifico. Novius:

Poliens sese et succis herbarum candificans cutem.

vel si justiores numeros requiris: Sese poliens et succis herbarum candificans cutem." Forsitan hunc versum finxerit Perottus recordatus loci qui est apud Festum v. polit, et apud Nonium v. politiones.

3. p. 742. l. 12. perpetuo verbum, hoc est perennes, continuo. Novius:

Miserum me cui datum est ut hunc solus perpetuam laborem.

Aut ex usu communi aut ex Nonio v. perpetuitate haec commentus est.

#### V. Fragmenta Afranii.

1. p. 152. l. 22. depuvire, item oppuvire unde oppuvia verbera dicuntur. Afran.:

Oppuviis pueri coercentur.



- Paulus ex Festo: obpuiat verberat, a puiendo id est feriendo, unde pueri quod puiendo coercentur etc., ad quem locum Dacierius: Nam locum illum Afranii: oppuviis pueri coercentur“ aut in mente habuit aut etiam in testimonium adduxit; iterum deceptus commento Perotti.
2. p. 287. l. 25. jentaculum a jento verbum. Afran:  
Dum exeo domum jentare nulla invitat.  
Conflata haec sunt ex duobus fragmentis, quae servavit Non. v. jentare.
3. p. 303. l. 53. citus — citior — citissimus. Afran:  
Citior abiit ancilla, citissima omnium rediit.
4. p. 350. l. 2. nepotes luxuriosae vitae homines etc., ab hoc nepotatus. Afran:  
Scurrilitate ac nepotatu nobilis.  
Festi locum v. nepos totum exscripsit et ex tempore fragmentum addidit.
5. p. 371. l. 53. eunuchus verbum. Afran:  
Itaque eunuchatus in medium prodit.  
cf. Non. v. eunuchatus.
6. p. 945. l. 41. fatuus, qui vel fari nescit, vel alios fantes non intelligit. Afran:  
Ego stultum me existimo, fatuum me esse non opinor.  
Hic versus citatur ab Isidoro origg. X. 246. v. stultus, non addito auctoris nomine. Spengelius ad fragmenta Caecili Statii p. 12. eundem e Salomonis glossis Afranii nomine laudatum retulit ita correctum:  
Ego memet stultum existimo, fatuum esse non opinor.  
Quare hoc loco Perotti testimonium non temere spernendum videtur.
7. p. 1006. l. 10. palangae unde fit palangare etc. Afran:  
Et capream unam semilaceram quaterni simul palangabant.  
Quasi haec unquam versum effecisse credere quisquam possit. cf. Non. palangae.

## VI. Fragmenta Pomponii.

1. p. 97. l. 35. ergastulum modo pro carcere usurpatur. Pomponius:  
Quive domi erant vineti quive in ergastulo custodiebantur.  
cf. Non. v. ergastulum.
2. p. 173. l. 47. villicari. Pompon.:  
Ego rus eo ut aliquot diebus villicer.  
cf. Non. villicari, ubi non absimile fragmentum Turpili legitur.
3. p. 287. l. 26. jentaculum. Pompon.:  
Nihil habens jentaculi praeter nauticum panem.  
cf. Non. jentaculum. panis nauticus legitur apud Plinium XXII. 25.  
\*

4. p. 568. l. 56. item a vi viriatus, hoc est magnarum virium etc. Vertium quoque veteres magnarum virium dixerunt. Pompon.:

Homo in eurreado vertius, qui cum Atalanta contendat.

Haec argumento sint, quemadmodum Perottus scriptorum locos soleat meminisse. Nonius enim v. viratius: magnarum virium, laudat ex Varronis Meleagro: Si non malit vir viratius uxorem habere Atalantam.

5. p. 559. l. 60. sulcatim per sulcos. Pomp.:

Gerens praeterea sulcatim concisam faciem.

Unde haec sumpta sint non liquet.

6. p. 702. l. 7. candidans etc. Pompon.:

Vestem lixivio candidans.

7. p. 707. l. 50. a carro cãruca dicitur carriculi genus, a quo carrucarius. Pompon.:

Plerasque mulas carrucarias tales esse, ut transjungi non possint.

Nisi forte haec sunt Pomponii jurisconsulti, ex digestis sumpta.

8. p. 712. l. 57. interpolator, qui antiquas vestes resarcit. Pompon.:

Interpolatricem accersire oportet, quae huic vestem adducat.

Quae nisi essent Perotti, legi posset ad numeros rectius adsuat pro adducat. cf. Non. interpolator.

9. p. 714. l. 51. ad nonnunquam adversativa est. Pompon.:

Ad hostem furibundus prodit.

10. p. 715. l. 15. rapo quod est rapax. Pompon.:

Ne nos conturbent avari atque rapones.

cf. Non. rapones.

11. p. 899. l. 57. hectae. Pompon.:

Hic homo hectae me facit et multibulam vocat.

Ubi pro multibulam Calepinus e Perotto laudat multibibam.

Festus: hecta res minimi pretii quasi lieta etc. quae eadem sunt verba Perotti.

12. p. 900. l. 58. circumlno circumfluo. Pompon.:

Cum undique stagnum circumluit et militi inaccessum facit.

Quae iterum ex pedestris orationis scriptore potius quam ex poeta videntur esse.

13. p. 955. l. 52. liveo modo invideo. Pompon.:

Malignus homo et fortunis aliorum semper livens.

## VII. Fragmenta Lucilii.

Cum ea, qua sola uti potui, collectio fragmentorum Lucilii, Jani Dousae, ni fallor, adjuncta editioni Persii et Juvenalis Bipontinae tam parum sit absoluta, ut ne ea quidem fragmenta, quae a Nonio ed. Merc. laudantur, omnia in ea reperias, non intercedam, si ex his unum vel alterum ab aliquo scriptore obscuriore Lucilio tribuatur.

1. p. 67. l. 30. praecello quod est differo. Lucilius:

Ad nonum hoc praecellit annum.

Non. protollere. Lucil. „Si non amplius ad lustrum hoc protolleret unum.“

Qui locus obversatus fuit Perotto.

2. p. 137. l. 54. veteres appiscor dicebant. Lucil.:

Magnam inde appiscatus infamiam.

Hunc locum Forcellinus a Lauremb. in antiqq. afferri ex Lucilio monet laudatum a Prisciano, apud quem ne verbum quidem appiscari legitur. Sed cum Perottus hoc loco exempla verborum expiscari, adipisci, appiscari inter se confundat, eum verbi apisci, quod apud Priscianum reperitur, parum meminisse verisimile est.

3. p. 194. l. 4. pallorem etiam veteres pro vetustate et negligentia posuerunt.

Lucil.:

Otium, inertia, pallor cum ad pauperiem redegit.

cf. Non. pallor.

4. p. 505. l. 22. docere etiam aliquando pro dicere accipitur. Lucil.:

Ne doce

hoc est ne dicas. Sed vide quaeso quae apud Non. legantur v. docere. Lucil. et non sunt similes neque dant, quid si dare vellent, acciperesne doce.

5. p. 421. l. 60. torrere aliquando pro ignescere usurpatur. Lucil.:

ut arida saepe torrent ad solem.

nisi forte fallitur loco Lucretii l. III. 930., ubi legitur:

quod sitis exurat miseros atque arida torreat.

6. p. 433. l. 54. inducere, nonnunquam quibusdam veluti fallaciis decipere. Lucil.

Hujus ego animum si induco, ut ab amore meretricis absistat.

Non. induci est aliquibus fallaciis decipi. Lucil. Hymnis ego animum sic induco, quod tu ab insano auferas.

7. p. 433. l. 54. ibidem. Lucil.:

Miserum senem Sirenum cantu inductum.

Non. induci. Lucil. Quid quaerimus acre, inductum cantu custoditum.

8. p. 684. l. 5. exultare. Lucil.:

Qui in hominem innocentem sic exultas.

Non. insultare. Lucil. Insulta miserum te quoque in me.

9. p. 690. l. 52. tristis nonnunquam pro irato. Lucil.:

Timeo certe ne mihi sit tristior.

Non tristis. Afran. Epist. Jactavit sese, jactet, mihi erit tristior.

10. p. 1011. l. 42. plangere percutere. Lucil.:

Plangunt littora fluctus.

cf. Ovid. Heroid. XIX. 121. Quanto planguntur littora fluctu.

11. p. 1023. l. 52. Ubi columbarum naturam describens: tunc, inquit, in reconciliatione frequens exosculatio. Lucil.:

Vincit columbos osculis.

---

His fragmentis suppositis non pauca addidissem, quae tantum mutata interpolataque essent, nisi ineptorum commentorum taedere jam lectorem arbitrarer. Sane quam invitus feci, ut tot fragmenta aperte conficta cumularem, sed quo facilius singulis, quae aut pro sinceris scriptorum reliquiis accepta aut solum addubitata videbam, fidem derogarem, tantum non omnia manifesta Perotti commenta exaggeranda esse statui. Horum igitur fragmentorum si quis sententiam et verba et rationes metricas paulo diligentius examinaverit et plurima cum locis ex Nonio et ex Festo appositis comparaverit, non poterit hanc meam sententiam non probare. Perottum enim lectitandis poetis latinis imprimis scenicis, quorum fragmenta apud grammaticos illos plurima exstant, memoriam suam optimam eam quidem eorum locis ita quasi refertam habuisse statuo, ut saepe sua ab alienis parum dignosceret. Cum vero in consuetudine poetarum scenicarum non mediocriter esset versatus, et ob eam causam in condendis versibus ut Horatii verbis utar legitimum sonum digitis calleret et aure, fieri non potuit, quin memoriter scribenti ubi memoria minus suppeteret, usu et exercitatione illa ad locos vel supplendos vel fingendos etiam inscius abuteretur. Neque aliter factum esse apparet. Multa enim laudat fragmenta sincera, plurima paullum immutata, non pauca etiam plane nova atque ex tempore conficta, quippe qui modo omnia et scriptorem et verbum insolenne et locum meminisset, modo scriptorem et vocem rariorem tantum, quibus fragmentum accomodandum erat; modo vocem solum recordatus et nomen scriptoris et locum confluxit. Mirari forsitan quispiam possit, quod, cum multis scenicis Latinorum commenta sua supposuerit, alios Ennium dico Livium, Caecilium, Titinnium, Attam Turpilium aut plane omisit, aut nisi genuinum ex iis nihil laudavit; sed ne solum in casum hujus rei causam conferamus, alios velut Ennium, Caecilium nobiliores fuisse

puta et ipsi et aliis penitus notos, alios minus familiares et obscuriores, quam quorum in mentem ei veniret, Ac ne illud quidem praetermittendum videtur, quod Pacuvio et Accio, quos comoedias non scripsisse hodie pro explorato habetur, fragmenta tantum non omnia affinxit, quae si genuina essent, nisi e comoediis sumpta esse non possent. Quippe et magis promptum erat ingenio Perotti, comici quam tragici coloris locos comminisci, et tragici illi etiam comoedias scripsisse olim existimabantur. Si vero quispiam quaerat, quomodo fragmenta illa laud raro ineptiora, pro genuinis a viris doctis potuerint haberi, monendum est, non universa facile ab ullo harum rerum perito genuina habita esse, sed ut fieri solet, ubi certa auctoritas ignoratur, unum vel alterum quasi in tabulas genuinorum irrepsit, et semel receptum alii ab alio est traditum. Ita pauca quaedam a Scaligero Dacierio, Vossio bona fide recepta, ab aliis dubitanter ut non satis exploratae fidei relata reperimus. Quanquam vero Lexicographi alii velut Calepinus in dictionarium suum octolingue omnia pro genuinis recipere non dubitarunt, tamen in collectiones fragmentorum ut R. Stephani, Fr. Bothii \*) nisi per raro non pervenerunt, et a Forcellino plurima etsi recepta ut parum certa et suspecta recensentur. Quare ne diutius, quibus nulla esset fides, vel pro dubiis circumferrentur, verum eorum fontem patefacere, quaeque eorum esset auctoritas ostendere non alienum ab hoc loco fore putavi.

---

\*) Bothius unum tantum Pacuvii fragmentum supra Nro. 14. laudatum idque dubitans recepit, cf. fragmt. trag. p. 154. fr. 45.



pata et qm et aliis gentibus nates, alios minus familiariter et obcurius, quam propterea  
 in montem de reuere, de no illud quibus praetermittendum videtur, quod L'auisio et  
 Anno, quos comendat non recipere hodie per explorato habebat, fragmenta factam  
 non omnia affixit, pata et gentibus essent, nisi a comendatibus nunquam non essent.  
 Quippe et magis promptum erat magis Pato, comitum quam regni solent factam  
 comitum, et regni illi etiam comendatibus recipere alios existimantes. Si vero  
 gentibus gentibus, quomodo factam illa facta non magis, pro gentibus a suis  
 hodie gentibus habuit, monendum est, non autem facta de alio hanc rem non  
 to gentibus habitus non, sed de facta solent, ubi certa magis gentibus, annis vel al-  
 tem quoniam in talibus gentibus recipit, et secundum receptum illi ab alio est tract-  
 tum, in hanc partem a nobis gentibus Pato, Pato hanc hanc recepta, ab alio de-  
 bitum et non suis exploratibus hanc rem gentibus. Quomodo vero factam  
 illi vult gentibus in dictonarium suum oculis gentibus hanc gentibus recepta non  
 dabatur, tamen in collectione fragmentorum et H. Stephanus, Fr. Hertz (\*) non per-  
 tino non pertinet, et a Fortellio gentibus est recepta et per omnia et suspecta  
 recomendat, hanc et hanc, quibus nulla essent hanc, vel pro dubiis circumstans-  
 ter, versus coram gentibus habitare, quippe coram esset gentibus comendatibus non  
 essent ab hoc loco gentibus.

\*) hanc rem gentibus Pato fragmentorum gentibus Nro. 4. hanc rem hanc dubi-  
 tas recepta et regni reg. p. 154 la. 15.